



1. Arnoldi Joh. Conr. diff. de Deo, Mundo et Homine, Gisse 1719.
2. Baumgarteni Sijism. Jac. diff. ad verba Rom. 1. v. 4. Hald 1738.
3. Beumleri Marci diff. de libero Nature Tiguri 1797.
4. Gernerii Salam. Theres. de Sacramentis in genere, Wittenbergæ 1596.
5. Hartmanni Joachimi diff. Sirtens Vati-  
cinum Simeonis. Rostochij 1744.
6. Heilbronneri phil. diff. proponendi  
Antitheria Doctrinae petri Apostoli et  
Pontificis Romani, Lauingæ 1597.

7. Hutteri s. Leonharti s. diff. de Religione  
Christiana principio verbo Dei scripto  
et non scripto, Wittenberga 1597.
8. Jani s. Joh. Wilhelmi diff. qua Liturgia Eccl<sup>ie</sup>  
sive evangelice Liturgie Apostolicæ  
conformis adversus Eusebium Reunodo-  
tium vindicatur. Wittenberga 1721.
9. Losij s. Joh. justij diff. de successiva Cor-  
ruptione judæorum, Wernigerode 1711
10. Maji s. Joh. Henrici diff. de duplici  
Idolatria crassa et subtili, Giesse 1698
11. Mentzeri s. Palthes diff. de Deo uno et  
trino, Marpurgi 1597.
12. Molleri s. Henrici diff. de questione  
illa ardua, qui fiat quod inter modernos  
theologos in Religione et fide tam multe  
sint concertationes, Erfurti 1620.
13. Moltzeri s. Joh. diff. de Arbitrio  
Homini, Marpurgi 1596.
14. ——— diff. de justificatione Homini  
peccatoris coram Deo, Marpurgi 1597.
15. Olearij s. Gottfr. observationes ad  
Evangelij Matthei Caput XVI. vers:  
15. 14. Lipsiæ 1709.
16. ——— s. Joh. diff. de theologia Abrahami,  
Lipsiæ 1689

17. Reinhardi s. Mich. Henr. / Diss. de  
 Panis ab ore Draconis proceden-  
 tibus, Wittenberga 1721.
18. Sagittarij / Carp. / Diss. de Corona  
 Christi Spinea, jend 1672.
19. Stezmann / Josue / Diss. de predica-  
 tione personali, Deus est Homo,  
 Haze Schaumburgiorum 1620.
20. Strauch / Azidj / Diss. s. heni  
 vitam Regis Israelitarum Recha,  
 beami, Wittenberga 1669.
21. Klebich / Wilh. / Diss. de Victoria  
 veritatis et ruina papatus  
 Saxonici. Friburgi 1661.
22. Varenj / Augusti / Diss. de Columba  
 super capite Christi in Jordano  
 visa, Wittenberga.
23. Velthem. / Valentini / Diss. de S.  
 trinitatis mysterio, jend 1655.
24. Gerlach s. Stephani. / Diss. de  
 Loto seu filio Dei, Tubingae 1798

25. Volkmar s. Joh. Georgij Diff. utrum  
per naturalem Dei Notitiam, citra  
revelatam salvari quis possit, Wittenber-  
gæ 1595.

26. ——— Diff. num verbi divini autori-  
tas tantum ab Ecclesia, ratione homi-  
num ejusdem Beneficium ad eternæ vitæ  
hereditatem aspirantium, pendeat.  
Wittenbergæ 1595.

27. Weller s. Jacobi Diff. exponens  
psalmum primium describentem veram  
Beatitudinem, Wittenbergæ 1640.

28. Winkelmann s. Joh. Herer de  
Ecclesia, Harpurzi 1596.

29. Zimmermann s. Joh. Jacobi Diff. Oratio  
de præcellentia Eruditionis theologicæ  
Tiguri 1791.



De libro Naturæ,  
**PRIMA DISPUTATIO,**  
 EX PSALMO XIX. IN QVA DE  
 COGNITIONE DEI CREATORIS  
 & Conservatoris hujusce uni-  
 versi differitur:

A

*MARCO BEVMLERO TIGV-*  
*rino confecta, ut de eâ publica συζητησις*  
*in Schola Tigurina in-*  
*stituatur:*

Respondente,

JO. JACOBO BREITINGERO TIGVRINO,  
 Theologiæ studioſo.  
 Ad xv. Mart.



TIGVRI,  
 APVD IOHANNEM VVOLPHIVM.  
 M. D. XCVII.





AMPLISSIMIS, NOBILISSIMIS,

ET PRUDENTISS. VIRIS, D. D. D. IO. RO-  
dolpho Rhonio Archiæconomo, Io. Vlricho  
Vuolphio, Trib. pl. Georgio Grebelio Ar-  
chigrammateo; patronis co-  
lendis, S.



UORUM conatu Relligio pio:  
Quorum disertæ Pierides ope  
Censu potitæ justo & æquo  
Et steterant pariter sublimes:

Quos atq; iuvit cernere proprio  
Sacrata Musis munera lumine:  
Et proprio libare sacra  
Ore litata Deo sibiq;  
Horum perennis laus, decus, inclyti  
Et nominis contendit apertius  
Porrecta Majestas ad ortum  
Solis, ab Hesperio cubili.

Vestra ergo saltus Sol per Olympicos  
Deducat altos nomina, & arduos  
Profecta tangat fama vestra  
Sauromatas, Lybicosq; colles.

Quorum conatu Relligio pio:  
Quorum disertæ Pierides ope  
Censu potitæ justo & æquo  
Nunc rutilant pariter sublimes.

Quos atq; constat cernere proprio  
Donata Musis munera lumine:  
Et proprio libare sacra  
Ore litata Deo sibiq;.

Ioh. Iacobus Breittingerus Tig.

# ANALYSIS SEX PRIMORVM VERSVVM

PSALMI XIX. DE COGNITIO-  
ne Dei Creatoris & Conservatoris  
hujus universi.

**P**SALMVS hic universa Theologie ac sapientia ce-  
lestis, aliàs longè lateq̃, diffusa, summam & brevem &  
perspicuam explicat:

II. Partes siquidem ejus principales duæ sunt: quarum prior  
Dei cùm Creatoris, tum Servatoris: posterior verò hominis tam  
ψυχικῆ, animalis; quàm πνευματικῆ, spiritualis, cognitionē nu-  
mero generatimq̃, proponit & adumbrat.

III. Ut verò Deus partim quâ Creator & Moderator hujus  
universitatis, partim quâ Servator suæ Ecclesiæ, cognoscendus  
nobis est: Ita gemina illius contemplationis & cognitionis duo  
magistri, seu, ut magis propriè loquar, libri, in priore parte Psal-  
mi proponuntur: quorum ille naturæ, hic verbi divini, in scriptu-  
ras relati, est.

IV. Liber naturæ est, cùm omnium creaturarum, quæ in hoc  
universo cernuntur, tum verò cælorum, dierum ac noctium, solisq̃  
creatio, conservatio & gubernatio. In qua Dei Creatoris glo-  
ria immensa mirificè lucet, seq̃, conspiciendam offert quàm libera-  
lissimè.

V. Hujus verò libri naturalis tria volumina, exquisitissi-  
mo ordine in textu explicantur: Quorum primum in cælis & ex-  
pansa illa orbium machina, quam Græci στερωμα, Latini Firmamentum appellat, conspicitur, ac versu. i. his verbis ex-  
plicatur: Cæli enarrant gloriam Dei, & opus manuum  
ipsius annunciat illa expansio.

VI. In cælorum itaque, sicut & in reliquarum creaturarum  
creatio-

creatione, conseruatione & moderatione, caussa efficiens prima, finisq; ultimus, consideranda veniunt.

VII. *Caussa efficiens prima ac totalis est Deus: quem, teste Propheta, cœli sua pulchritudine tanquam Creatorem deprædicant: cuiusq; opus expansio, suo ornatu, annunciat. Quod alius Propheta paullo euentius concionatur: Iehova extendit cœlum: ac fundavit terram. Item: Fecit cœlos cum intelligentia. Item: Extendit cœlos veluti cortinam.*

Zach. 12.

v.1.

Pfal. 136.

v.5.

Pfal. 104.

v.2.

VIII. *Finis ultimus est gloria Dei Conditoris & Opificis: cuius gloriam, teste Propheta, cœli enarrant. Quod idem Sapiens testatur: Omnia operatus est Iehova propter seipsum.*

Prou. 16.

v.4.

IX. *Hæc verò duo cœli dicuntur narrare & annunciare per metaphoram hyperbolicam, in sacra Scriptura frequentissimam, qua rebus mutis & inanimatis actus & vox tribuitur; ut hac ratione hominibus, quos almus iste Creator ratione & oratione ab alijs creaturis, quas ipsorum usibus seruire voluit, discernit, sua negligentia & oscitantia, quâ præclarum illud opificium prætereunt surdi mutiq;, exprobrecur.*

X. *Nec verò alucinatur, qui ista cœlis per metonymiam effecti tribui statuit. Cœli quandoquidem gloriam Dei & opus manuum ejus prædicare & annunciare dicuntur, quòd sua pulchritudine insigni; quòd dispositione apta; quòd motu constanti, creaturas rationales ad gloriam Dei suspiciendam, ad opus manuum ejus contemplandum, agnoscendum, deprædicandum rapiunt & exsuscitant. Juxta illud: Quis spectando gloriam Dei, fatietur? Et regius Psaltes haud dissimulat, se aspectu cœlorum, lune & stellarum, operis manuum Iehovæ, ad gloriam Creatoris suspiciendam et extollendam, quasi afflatu quodam, exstimulari.*

Ecclesiast.

42. v. 26.

Pfal. 8. v. 4.

XI. *Sed & expansio dicitur opus manuum Dei per metonymiam caussa. Manus in homine virium in architectando exercendarum organum validissimum est. Deo itaq; ita tribuitur, ut ex manu efficiendi vis, facultas & potentia intelligatur: cum*

Epist. 3. ad  
Fortun.

*manus aliâs causis instrumentalibus accenseatur. Quem tropum ante nos contra Anthropomorphitas observavit Augustinus:*

Cum audimus, inquit, manus in Deo, operationem intelligere debemus. *Item: Vide, Deus totus est manus, quia omnia operatur. Item: Videte quid dicat: Qui plantavit aurem, non audiat? Non dixit: Ergo aurem non habet? Sed quid dixit? Qui plantavit aurem, non audiat? Membrum tulit, efficientiam dedit. Item Damascenus lib. 1. cap. 14. de fid. χεῖρας θεῶ τὸ ἀνυσικὸν τῆς ἐνεργείας ἐνοῦν. καὶ ὅ ἡμεῖς τὰ χεῖράς καὶ μάλιστα πρῶτα διὰ τῶν οἰκείων καὶ ὁρθῶν χειρῶν, Id est: Manus Dei agendi seu conficiendi facultatem intelligimus. Nam & nos utilia ac honoratiora proprijs manibus efficimus. Hactenus primum volumen.*

XII. *Alterum sequitur in perenni & continua dierum ac noctium ὁμοιότητι seu vicissitudine: quam Propheta his verbis explicat, v. 2. 3. 4. Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat scientiam. Non est sermo neque locutio, unde non audiatur vox illorum. Libet verò & hoc volumen in suas, quibus constat, paginas resolvere, ac deinceps de singulis differere.*

XIII. *Prima ergo est in his verbis: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Quibus mutuae istius colloctionis cum modus, tum materia significatur.*

XIV. *Modus versatur partim in perpetua colloquij continuatione, quam verba futuri temporis יבִּיחַ Jabbiahh & יהוה Iehaveh innuunt: partim in copiosa, aperta & abundanti colloctione, quâ metaphora in verbo נבִּיחַ Nabahh quod scaturiginum fontium proprium est, denotat.*

XV. *Loquitur ergo dies diei & nox nocti nunc, & loquetur in posterum, quò ad hic mundus stabit, sine vlla remora aut intermissione: & loquitur loqueturque copiose, aperte, abundanter.*

XVI. *Qui continuus ac solennis copiosusque colloquendi modus, Dei*

dius Dei fidem in servandis promissis ἀμετακίνητον & ἀμετα-  
μέλητον mirum in modum commendat. Juxta illa: Dies & nox  
non cessabunt. Item: Non potestis irritū facere pactum  
meum cum die, & pactum meum cum nocte, ita ut non  
sit dies & nox, tempore suo.

XVII. Collocationis materia exprimitur vocibus, verbi  
& scientiæ: quæ duæ voces gloriæ Creatoris partes præcipuas  
complectuntur.

XVIII. Verbū enim per metonymiam causæ, in S. scriptu-  
ra tritam, partim Dei immotam & cōstantem veritatem in ser-  
vandis promissis, quam suo verbo satis superq̄ testificatus est,  
partim immensam æternamq̄ potentiam, quam verbo in rebus  
creandis potissimū explicuit, declarat.

XIX. Cui interpretationi fidem faciunt auctoritatēq̄ con-  
ciliant, cū alia, tum hæc oracula: Caput verbi tui est veri-  
tas. Item: Sermo tuus est veritas. Item: Verbo Iehovæ  
cœli facti sunt. Item: Sustinet omnia potenti suo verbo.  
Itē: Ex creatione mundi percipitur æterna ejus potētia.

Pfal. 119.  
v. 260.  
Iohan. 17.  
vers. 17.  
Psal. 33.  
vers. 6.

XX. Sciētia deinde essentialē istam ac infinitam scientiā,  
id est, omniscientiam Dei propriam per synecdochen generis signi-  
ficat: quæ cū in omnibus creaturis, tum verò atque in primis in  
cœli motu cōtinuo ac perpetua dierum noctiumq̄ vicissitudine lu-  
cet, splendetq̄ semper. De qua vates canit: Omnia in sapientia  
fecisti. Itē Sapiens: Iehova in sapientia fundavit terram:  
stabilivit cœlos in intelligentia. In scientia ipsius abyssi  
ruperunt sese, & cœli stillant rorem.

Pfal. 33.  
vers. 6.  
Heb. 1. v. 3.  
Ro. 1. v. 20.  
Pfal. 104.  
vers. 24.  
Prov. 3. v.  
19. 20.

XXI. Porrò verbū eructandi & indicandi nocti & diei,  
eodem tropo & eadem de causâ, quæ suprâ verbum enarrandi &  
annunciandi, cœlis & expansioni, tribuitur, & talis est secundi  
voluminis prima pagina.

XXII. Altera continet hæc verba, Non est sermo neq̄  
locutio: vnde non audiatur vox illorum. Quibus verbis

objectum, id est, auditores, cui dicitur & non loquitur, significatur, nempe omnis sermo, & omnis locutio.

XXIII. Vox autem אמר Amer eloquutionem seu eloquentiam ad actum, & vox דברִים Debarim varias dialectos seu idiomata propriè denotat. Sed per metonymiam subjecti, quâ abstractum pro concreto ponitur, locutio seu sermo pro sermocinantibus, & dialectus pro hominibus, dialectis istis utentibus, accipitur.

XXIV. Sententia ergo est: Dierum ac noctium perpetua vicissitudo una quasi voce, & uno idiomate tam efficaciter, clarè, & expressè Dei Creatoris & Moderatoris gloriam, quam modò omnipotentia, veritate & omni scientia defini vit Propheta, loquitur ac deprecatur, ut ab omnibus, cujuscunq, sine nationis aut linguae, audiri, disci & cognosci possit. Talis est secunda pagina.

XXV. Succedit tertia in his verbis: In omnem terram exivit scriptura eorum, & ad extremitatem orbis verba eorum. Quibus subjectus locus, in quo & per quem dierum ista ac noctium collocutio fit, exponitur, nempe omnis terra & extremitas orbis: adeò ut ubiq, gentium uniuersa terra cunctusq, orbis dierum ac noctium Dei gloriam celebrantium voce personare intelligatur.

XXVI. Nec verò sicco pede prætereunda collocutionis istius in duas, quam hæc eadem pagina complectitur, species distributio: quarum prior nomine קַוֵּי Kavam, posterior voce מִלֵּהֶם Mil-  
léhem exponitur.

XXVII. Etenim ut homines animi sui sensa & cogitata vel scripto vel viva voce promunt & exprimunt: Eodem modo dies ac noctes, Dei Creatoris gloriam edere, a Propheta dicuntur.

I. f. 18. v.  
10.

XXVIII. Etsi verò vox illa קַוֵּי Kav ut plurimum funiculum mensoriū significat: tamen interdū, ut ex Iesaja patet, etiam versum scriptum seu lineam denotat. Quam significationē etiam hoc loco habere asserimus, quod sequitur: Et verba eorum. Quæ verba cum scripto plurimum, cum funiculo mensorio nihil cognationis aut affinitatis habent.

Vocem

XXIX. Vocem verò קאב versum seu lineam scriptam denotantem per synecdochen membri pro libro scripto seu scriptura accipimus.

XXX. Divisionis itaq; dictæ sententia est: In dierum notitiamq; perpetua & constanti permutatione ac vicissitudine, quæ cæli orbiumq; cælestium motus efficit, primùm tanquam in volumine omnium oculis explicato, & ubiq; locorum conspicuo Dei Creatoris gloria descripta, vivisq; quod ajūt, coloribus expressa, contemplanda, oculisq; legenda exhibetur. Deinde hanc elegantem scripturam viva quædam & canora vox, quæ undiquaque exauditur, omniumq; aures vellicat, comitatur: adeo ut omnes & singuli, qui modo vident & audiunt, gloriæ Dei Creatoris oculati & auriti testes fiant.

XXXI. Græcus interpres pro קאב Kavam legit קלפ קו Rom. 10. lam, ac vertit φθόγγος αὐτῶν, vox vel sonus eorum. Quem v. 81. Apostolus versum hunc allegans secutus est.

XXXII. Neq; verò eum suo proposito accommodavit, quòd huic parti psalmi allegoricum sensum affingeret, sed potiùs ut cursum prædicati Evangelij, quem brevi tempore confecit maximum, argumento à pari ducto amplificaret, Iudæisq; omnem sui excusandi, ignorantiamq; caussandi ansam ad hunc modum præcideret omnem. Quod David de scriptura & voce dierum ac notitium totum hunc orbem continenter peragranti olim dixit: idem nos, vel vobis Iudæis testibus, de Evangelio prædicato nō minùs verè confirmare possumus: cùm totum orbem pervaserit, eumque sua luce collustrarit. Non est ergo, quòd ignorantiam vobis excusandis prætexatis.

XXXIII. Solenne enim est Spiritui S. rebus magnis, creditu difficilibus, & diligenti consideratione dignis, quæ in novo Test. acciderunt, loca veteris accommodare, non quòd semper & ubiq; hæc istis, tanquam typis & allegorijs, fuerint significatæ & prædictæ, sed potiùs ut hæc tanquam similibus & paribus illustren

B

Marth. 2.  
v. 15. 18.

tur ac probentur. In quorum numero illud est: Ex Aegypto vocavi filium meum. Item: Vox in Rhama audita, &c. Et tale est secundum libri physici volumen.

XXXIV. Tertium sequitur continens solis descriptionem v. 4. 5. 6. Soli posuit tabernaculum in eis Et ipse egreditur tanquam sponsus e thalamo suo: exultat tanquam vir robustus ad decurrendam viam. Ab vno extremo caelorum egressus ejus, & circuitio ejus est super axisbus eorum: nec quidquam absconditur a calore ejus.

XXXV. Haec Solis, praecipui Luminaris, quo pulchrius nihil videt hic mundus, hieroglyphica descriptio quattuor distinctis constat paginis.

Gen. 1. v.  
16.  
Psal. 136.  
v. 8.  
Jerem. 31.  
v. 35.  
Genes. 1.  
v. 17.

XXXVI. Quarum prima ejus causam efficientem ac situm explicat his verbis: Soli posuit, intellige Deus, tabernaculum in eis, nempe caelis. Nam Deus Solem creavit, juxta haec & alias: Fecit Deus duo luminaria. Item: Fecit Solem ad praefecturam in die. Item: Dedit Solem in lucem diei. Idem Deus Solem in caelo, tanquam pulcherrimo & amplissimo domicilio & theatro collocavit. unde dicitur: Deus ea posuit in expansione caeli, ut illuminarent terram.

XXXVII. Altera pagina Solis splendorem, ornatum ac dignitatem majestatis plenam depingit, & similitudine sponsi his verbis extollit: Et ipse tanquam sponsus egreditur e thalamo suo. Inter homines ita comparatum est, ut sponsi, praesertim honoratioris & opulentioris, quam plurimum gemmis & auro ornati resplendant ac niteant. Qua ex causa Christus, ornatus & pulchritudine omnes homines longissimo intervallo superans Psalm. 45. sponso quoque comparatur. Eodem modo Sol, praesertim sub aurora, totum horizontem collustrans, omnium astrorum multo jucundissimus, multoque ornatissimus conspicitur.

XXXVIII. Tertia pagina Solis velocitatem qua spatia emittit & conficit incredibilem, simili ab aethiops, qui olim quadrigis



drigis & pedibus certabant, duello amplificat: Exultat, tanquam robustus, ad decurrendam viam suam.

XXXIX. Quo simili & robur indefessum & pernicitatem perennem adscribit Soli. Nec quisquam mirari non potest quam maximè, qui tantum corpus, cujus magnitudine multis partibus terra superatur, 24. horis circa terram sine ulla cessatione aut defatigatione jam tot secula volvi meditatur ac conspicit. Cui etiam, si in terris curreret, singulis horis 225. miliaria emetienda forent.

XL. Extrema pagina Solis effectum his verbis complectitur: Nec quidquam absconditur a calore ejus. Calor & vis calefaciendi adscribitur Soli: non quod ei vis calefactoria aut calor per se insit: sed quod suis radiis corpora densa seu spissa penetrans & attenuans rarefacit, latentemque in istis calorem nativum excitat ac producit. Quae tamen Astronomorum scholis discutienda relinquimus.

XLI. Talis itaque est liber naturae Dei Creatoris cognitionem ob oculos proponens. Restat ut ejus analysin ad usum nostrum ac commodemus. Quod commodè praestabimus: si Creationis causas omnes annotabimus. Rem quandoquidem scire, est causas ejus nosse.

XLII. Causa efficiens sola est Iehova, ipse per se jam inde ab aeterno existens omnibusque alijs & oia largiens & conservans: cujus, ut vidimus, opus vocatur illa expansio. Cujus appellatione tota mundi machina cum omnibus suis partibus rectè per synecdochen intelligitur. unde haec & alia: Iehova fecit caelum & terram, mare & omnia quae in eis sunt. Ego Iehova factiens omnia, extendens caelos solus, expandens terram mea potentia.

Exod. 30.  
Psal. 146.  
v. 6.

XLIII. Ceterum cum Creatio opus Deitatis sit ad extra, uni Iehovae in sacris literis ita vindicatur, ut haud dissimuletur eam trium Personarum communem esse: servata tamen ut per-

sonarum, sic actionum ad hoc apotelesma producendum concurrentium, distinctione.

XLIV. Prius istud ex eo patet, quod Scriptura singulis Personis opus Creationis ex æquo & sigillatim attribuit. De Patre in Symbolo prædicatur: Creator cœli & terræ. De Filio: Absq̃ eo factum est nihil. De Spiritu S. Spiritus Dei fecit me.

Ioh. 1. v. 3.  
Iob 33. v. 4

XLV. Posterius hoc inde lucet, quod Pater, utpote fons & principium omnis actionis, a se, non ab alio, sed per Filium Spiritumq̃ æternum: Filius & Spiritus sanctus non a se, sed a Patre, licet per se, creâsse dicitur.

XLVI. Quæ distinctio ut e media Scriptura petitur, eaq̃ tota nititur: sic nec otiosa nec supervacanea, sed perutilis ac necessaria est, ut mox videbitur.

XLVII. Patrem namq̃ a se, non ab alio, sed per Filium & Spiritum Sanctum creare & operari, hinc evidentissimum est: Verbo Iehovæ cœli facti sunt: & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum. Iehova synecdochicè intelligitur Pater: Verbū Filius: Spiritus oris Iehovæ Spiritus S. Sic interpretante tota antiquitate. Cui interpretationi autoritatem conciliat illud Evangelistæ. Per hunc omnia facta sunt. Item illud Apostoli: Per quem etiam mundum condidit.

Pfalm 33.  
v. 6.

Ioh. 1. v. 3.  
Heb. 1. v. 2

XLVIII. Porrò Filium & Spiritum Sanctum non a se primo, sed illum a Patre, hunc verò a Patre & Filio creare & operari, hinc evidens est: Non potest Filius a semetipso operari, nisi viderit Patrē operantem. Item: A me ipso non loquor: sed Pater, qui in me manet, ipse facit opera. Itē: Non loquetur a semetipso, &c. Ille me glorificabit: quia de meo accipiet, quod renunciabit vobis. Omnia quæ habet Pater, mea sunt, propterea dixi, illum de meo accepturum.

Ioh. 5. v. 19

Iohan. 16.  
v. 14. 15.

XLIX. Filium deniq̃ & Spiritum sanctum licet non a se tamen

tamen per se creare & operari hinc planum fit. Sicut Pater ex-  
citatur mortuos & vivificat, etc. & Filius quos vult vivifi-  
cat. Item: Sicut Pater habet vitam in semetipso: sic dedit  
& Filio vitam habere in seipso. Item: Quaecumque Pater fa-  
cit: hæc etiam Filius pariter facit. Item: Hæc omnia effi-  
cit unus ille & idem Spiritus, distribuens singulis pri-  
vatim, sicut vult.

Ioh. 5. v. 19  
21. 25.

1. Cor. 12.  
v. 11.

L. Ergo distinctio hæc a nobis non excogitata, sed e Scriptu-  
râ observata, de duobus admonet. Primum, unam eandemque esse  
Patris, Filij & Spiritus S. essentiam: seu tres istos verum esse  
unumque Jehovaham: quando una eademque actio creandi operandique  
a scriptura ipsis tribuitur. Nota illa Orthodoxorum regula:  $\omega\nu$   
 $\eta$   $\alpha\nu\tau\eta$   $\kappa\alpha\iota$   $\mu\iota\alpha$   $\epsilon\sigma\tau\iota$   $\epsilon\sigma\sigma\epsilon\iota\alpha$ :  $\tau\acute{\epsilon}\tau\epsilon\sigma\upsilon$   $\kappa\alpha\iota$   $\eta$   $\epsilon\sigma\tau\iota\alpha$   $\alpha\nu\tau\eta$   $\kappa\alpha\iota$   $\mu\iota\alpha$ : Quo-  
rum actio eadem & una, horum & essentia eadem &  
una.

Basil. cõc.  
Eunom. 4  
Damasc:  
lib. 3. c. 15

LI. Nec minus hinc Personarum quoque Trinitas lucet ac  
perspicitur: cum illa actionum, ad unum idemque  $\delta\pi\sigma\tau\acute{\epsilon}\lambda\epsilon\sigma\mu\alpha$  pro-  
ducendum concurrentium, differentia ac distinctio, e distinctione  
& differentia trium Personarum promanet.

LII. Facessat ergo Ethnicorum de multitudine Deorum fig-  
mentum jam pridem explosum: Facessat Arianorum, Origenista-  
rum & affinium hæreticorum  $\tau\lambda\epsilon\omega$   $\tau\alpha\upsilon\tau\acute{\omicron}$   $\tau\eta\tau\alpha$  Essentia trium Per-  
sonarum negantium, blasphemia: Facessat denique Sabellii, unam  
hypostasim Patris, Filij & Spiritus sancti, tribus  $\lambda\upsilon\omega\acute{\alpha}$   $\mu\epsilon\sigma\iota$  di-  
stinctam fingentis, somnium ac delirium.

LIII. Materia præexistens, e qua mundus factus sit, nulla  
prorsus fuit. Deus quandoquidem in principio, cum videlicet, Ge. 1. v. 1.  
præter ipsum, nihil esset huius universi, creavit, id est, ex nihilo  
produxit cælum ac terram, nempe rudem illam indigestamque mo-  
lem, seu materiã primam, quam deinceps intervallo sex dierum  
in suas partes digessit, interpolavit. In voce enim cæli et terræ  
metonymiam statuimus, qua ex effectu materies intelligitur: cum

Genes. 1. Moses cælum & terram istam informem & inanem, & abyssum tenebricosam nominet: ac secunda tertiaq; demum die cælum terramq; formata esse scribat.

Rom. 4. v. 17. Hebr. 11. v. 3. LIV. Verum itaq; illud Apostoli: Vocat quæ non sunt, tanquam sint. Item: Per fidem intelligimus cõstructum fuisse mundum verbo Dei, ut quæ cernimus, non sint ex apparentibus facta. Ac proinde illud Philosophorum placitum, Ex nihilo nihil fit, de natura creanda & extraordinaria Dei potentia ut falsum repudiamus: ut maximè verum sit de ordine, in natura creata, diuinitus instituto. Valeat itaq; Stoicorum & Hermogenis hæretici commentum, Deo materiam coæternam inducens.

LV. Creationis forma tribus potissimùm rebus perspicitur: de quibus κατ' ἑπιτομὴν videbimus.

Psal. 15. v. 3. Iesa 40. Psal. 33. v. 9. LVI. Primùm in eo, quòd Iehova non coactus sed liberrima voluntate, nec ullis corporeis instrumentis, aut labore, aut defatigatione, sed solo verbo hoc uni versum condidit. unde illa πολυτρόπως: Omnia, quæ voluit, fecit. Itē: Deus æternus Iehova, Creator finium terræ, non defatigatur, nec lassatur. Item: Ipse dixit, & facta sunt.

Genes. 1. v. 10. 12. 10 21. 31. LVII. Deinde in eo, quòd omnia & singula optimè sapientissimeq; & in suo gradu ac genere perfectissima fecit. Hinc illud toties reperitum: Vidit Deus, id esse bonum. Itē: Inspexit Deus quicquid fecerat, & ecce valde bonum.

Ro. 5. v. 12. LVIII. Itaq; nec malum culpæ, quod ἀνομιὰ ἐστίν, nec malum pænæ a creatione rerum ἐστίν, aut cum ea conjunctum. Sed illud partim a Satana, partim ab homine divinam legem violante manavit: hoc verò hominis lapsus, ut pœna justissima, consecutum ἐστίν. Quod utrunque uno fasciculo Apostolus comprehendens scribit: Per unum hominem peccatum introiit in mundum: & per peccatum mors.

LIX. Postremò creationis forma in eo lucet maximè, quòd  
Deus

Deus hanc universitatem, eâ lege & conditione creavit, ut eandem suo verbo cōtinenter sustentet, sapientia moderetur, bonitate foveat. Hinc illa: Pater meus usq; adhuc operatur: & ego operor. Item: Sustinet omnia potenti illo suo verbo.

Ioh. 5. v. 14.  
Heb. 1. v. 3

LX. Hanc verò mundi sustentationem Græci *θεοβοια*, Latini providentiam proprio nomine appellant. Quæ est Dei consilium æternum, immutabile, liberrimum, quo omnia eo, quo fiunt, modo in se constituit, ac in tempore mediatè & immediatè, semper autem *ἐπεμνυκῶς* perpetuò ad gloriam suam electorumq; salutem regit ac gubernat.

Act. 4.  
v. 28.  
1. Cor. 2.  
v. 7.  
Hebr. 6.  
v. 17.  
Psa. 11. v. 3

LXI. Partes providentiæ sunt duæ: quarum prior continet decretum æternum de omnibus rebus certa ratione, modo, loco, & tempore efficiendis: de quo dicitur: Tu omnia modo ac ordine ponderesq; temperasti. Nam vis quidem, quâ plurimum vales, apud te semper fuit. Altera continet decreti istius in tempore manifestationem & executionem. ut enim nihil fit in tempore, quod Deus ab æterno apud se non constituerit & ordinaverit: sic quid apud se jam inde ab æterno decreverit, ex ipso eventu clarissimè elucet. Quod Apostolus docet his verbis: Omnia efficit ex consilio voluntatis suæ.

Iesa. 46.  
v. 10.  
Syrac. 11.  
v. 21. 22.  
Eph. 1. v. 11

LXII. Hujus porrò providentiæ duæ sunt species: quarum una universalis, quâ Deus totam simul mundi machinam moderatur: hæc singularis dicitur, quâ idem singulas quasq; res seorsim agit ac regit.

Psal. 113.  
v. 16.  
Sap. 8. v. 1.  
Marth. 6.  
v. 26.  
Marth. 10.  
v. 10.

LXIII. Providentiæ cognitio, fides, ac consideratio omnium temporum est ac rerum. Res siquidè, quæ pijs obtingunt, aut sunt secundæ aut adversæ, eaq; aut futuræ aut præteritæ. In secundis facit moderatos ac omnem arrogantiam arcet: tantum abest, ut securitati fenestram aperiat. In adversis perfugium ac solatium præbet. In præteritis facit gratos: in futuris *ἐν ἐπιδοξία* ac de si- de curaq; Dei optimè sperantes: adeò desperationi causam nullam præbet.

1. Cor. 4.  
1. Cor. 10.  
Marth. 10.  
2. Tim. 4.

LXIX. Creationis finem proximum statuimus hominem,  
supremum verò Dei gloriam: de quo in analysi fusè dictum.

CORONIS.

**Q**ueritur, An Ethnici ex rebus creatis mysterium Trini-  
tatis, quod Christianis e scriptura illas aestimantibus af-  
fulget, ullo modo cognoscere potuerint: cum Paulus dicat in ip-  
sis manifestum fuisse τὸ πῶς οὖν Dei? Negatur. Τὸ πῶς οὖν si qui-  
dem illud non ad τὸ τί ἐστὶ, sed ad τὸ εἶ ἐστὶ pertinet: adeo ut E-  
thnici e rerum creatione & conservatione non Dei essentiam per-  
fectè multò minùs ejus in tres personas distinctionem, sed Deum  
esse cognovisse dicantur. Quando mysterium Trinitatis in sola  
Ecclesia, ex sola Scriptura S. discitur, juxta illud: Notus in  
Iehuda Deus, in Israel nomen magnum ejus.

Ro. 1. v. 19.

Pla. 76. v. 1.

II. Queritur, An illa notitia Dei, quam Ethnici ex rebus  
creatis hausserunt, ad salutem consequendam suffecisset: si eam re-  
tinuissent: cum Apostolus doceat ipsos, quòd istam excusserunt, a  
Deo in reprobum sensum traditos, ac tandem condemnationi ad-  
dictos fuisse? Negatur. Tria quandoquidè, quibus Ethnici pror-  
sus destituti fuerunt, ad salutarem Dei cognitionem requirun-  
tur.

I. Est subjectum ad notitiam illam in se recipiendam ap-  
tū, ritè dispositū, probèq; affectū, quod est mens hominis, cu-  
jus intellectus illuminatus & instauratus est. De quo dicitur: In-  
duite novum illum hominem, qui renovatur in agnitio-  
nem Dei congruentem imagini ipsius, qui condidit ip-  
sum. Quod Ethnicis usq; adeo tribui non potest, ut etiam Apo-  
stolus eis, licet qualemcunq; cognitionem Dei habuerint, cor insipi-  
ens, antequam obtenebratum & induratum fuerit, ascribat: & a-  
lio in loco eos intellectum habere obscuratum & abalienatum a  
vita Dei propter ignorantiam, quæ est in ipsis, testetur.

Ephes. 4.  
v. 18.

Est no-

II. Est notitiæ certa species, non illa transiens seu evanes-  
cens, quæ mentem etiam non regeneratam nonnunquam ferit, sed  
permanens, menti, cujus voluntas regenerata est, insidens, auget-  
cens, & fructum ferens. De qua dicitur: In corde honesto ac Luc. 8. v.  
bono auditum sermonem retinent, & fructum adfe- 15.  
runt per patientiam. Quæ voluntas notitiæ Dei retinenda Ro. 1. v. 28  
Ethnicis defuit, dicente Apostolo: Non visum eis, Deum in  
notitiâ retinere. Et hoc est, quod Servator inquit: Vobis da- Marc. 4.  
tum est nosse mysterium regni Dei: ijs autem, qui foris v. 11.  
sunt, per parabolas omnia fiunt; ut videntes videant, et  
non cernant.

III. Est notitiæ objectum, quod non est Deus tantum, quate-  
nus ut Creator, & huiusce universi moderator, sed potius, atque  
cum primis quatenus ut Servator consideratur & agnoscitur, cre-  
ditur. De quo Christus in Evangelio: Hæc est vita æterna, ut  
te cognoscant illum solum verum Deum, & quem mi-  
sisti, Iesum Christum. Hoc objectum Ethnicos, prorsus latuit.  
Vnde Apostolus testatur notitiæ ipsorum objectum fuisse res con-  
ditas, ex quibus Dei Creatoris cūmpotentia æternam, tum theio-  
nta, id est, maiestatem Deo dignam, quæ perfecta bonitate, sapietia,  
justitia, vi ad potestatem definitur, cognoverint. Nā qui inter theio-  
nta & theiōnta discrimen nullū esse contendunt, suam linguæ  
Græcæ ignorantiam audacter produnt. Cūm θεοτης ἀπό θεῶν, quod  
subjectum denotat: θεοτης verò ἀπό θεῶν, quod adjuncti symbo-  
lum est, deducatur.

III. Quæritur, An, cūm omnia & singula a Dei providen-  
tia pendeant, aliquid contingenter fiat? Distinguitur. Si con-  
tingentia intelligitur mutabilitas effectuum, dependens aut ex  
libertate & potentia divina, aut ex natura causarum secunda-  
rum: a nobis non negatur. Si verò contingentia intelligitur  
mutabilitas causarum secundarum & effectorum ita fluctuan-  
tium, ut divina providentia non regantur, a nobis inficias itur.

6.

IV. Quæritur, quid Deus fecerit ante secula condita? Resp.

1. Pet. 1.  
v. 20.

I. Præscivit Christum agnum ἀνομον καὶ ἀπιδον ultimis temporibus patefaciendum propter nos.

Eph. 1. v. 4

II. Nos elegit in ipso, ut simus sancti & inculpata coram eo per charitatem. Reliqua, quæ in verbo patefacta non sunt, curiosè scrutantibus, respondemus, quod olim pius iste senex, teste Au-

August.  
confess.  
11. cap. 12.

gustino, Gehennam talia quærentibus præparavit. Item: Nescio, quod nescio.

F I N I S.

ar 26





99 A 6906

ULB Halle 3  
002 633 388




50

6

VD17

Rehe 0







o Naturæ,  
DISPUTATIO,  
XIX. IN QVA DE  
DEI CREATORIS  
toris hujusce uni  
differitur:

A  
MLERO TIGV.  
de eâ publica συζητησις  
Tigurina in-  
uatur:

ndente,  
TINGERO TIGVRINO,  
æ studioso.  
7. Mart.



VRI,  
EM VVOLPHIVM.  
XCVII.